



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale**

**Blois, Louis de**

**Monasterii Campidonensis, 1672**

Docum. V. Obedientia, & proprii sensus abnegatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

obsequium,  
mundum.

fectione fragilitateque propria stimulis indignationis acerbius agitari, discere quietè ferre ipsius passionistuae molestiam quàm intus affligeris: & intempestivè tunc non proferas ea ad quæ dicenda spiritus tuus importunè te impellit: sed de his quæ te angunt loqui differ (si fieri potest) donec Dei gratia mentisque serenitas redierit.

## DOCUMENTVM V.

*Obedientia, & proprii sensus abnegatio.*

**A**lterius voluntatem potius, quàm tuam, facere amare; & iudicio alterius tuum iudicium facile submitte, proprio sensui nunquam protervè inhærens, neque aliquid sanctæ obedientiæ præponens.

## APPENDIX.

*Obedientia bonum, inobedientia malum.*

1. Vera obedientia exhibenda erga omnes, sine discussione, sine mora, ordinate, & ex animo, in omnibus.

2. Meritum ejus pendet à rectitudine voluntatis, non à magnitudine aut excellentiâ operis.

3. Excellentissimi fructum obedientiæ, verag abnegationis.

4. Nulium opus contra obedientiam factum peccat Deo placere.

1. **S**ublimes planè virtus est obedientia, quam purè & simpliciter exhibitam Deus præfert quibuslibet alijs operibus atque

exercitiis, quantumvis excellentibus & sanctis.

Verus obediens non solum majoribus, sed & sibi æqualibus, atque etiam minoribus, alacriter in his quæ licita sunt obtemperat. Non discutit apud se, quàm juvenis aut imperfectus sit Superior qui jubet.

Non judicat frivolum vel inutile esse quod præcipit: sed audito ejus mandato, mox omnibus alijs, quæ tunc intermitteri possunt, intermissis, animo paratissimo jussa exequitur.

Non tanquam hominì, sed tanquam Deo obedientiam impendens, & propter Deum etiam præsentem minùs rectè viventem reverenter honorans, sincerumque ac dulcem affectum & benevolum animum erga eum gerens: memor verborum illorum Domini Iesu, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.*

Purioris & integrioris vitæ amator obedit tunc quoque quando agnoscit voluntatem Superioris, licet mandatum ejus expressum non interveniat.

Vbique paratus est seipsum deferere: & propterea non solum in his quæ sibi placent, verum etiam, ac multò maximè, in his quæ molesta sensuique suo contraria sunt, vult obedire: cogitans, non semper illud esse Deo acceptius, quod hominì est dulcius atque delectabilius.

Enchiridij  
Parvulorum  
Lib. I.

1. Non  
discutit  
quæ ille  
sit qui  
imperat.

2. An  
quid  
imperat.

3. Deum  
solum  
imperare  
considerat.

Luc. 10

4. Non  
expectat  
mandatum  
ubi agnos-  
cit voluntatem.

5. Etiam  
in mole-  
stis.